

lario fol. 488. ac etiam ex parte Gobat de indulgent. p. 2. cap. 31. num. 603.

128 II. Quicunque sacrum audit, aut celebrat, trium millium annorum indulgentiam lucratur ex concessione Innocentii VI. nec non aliorum octies centum annorum ex concessione Urbani IV. Martini V. Eugenii IV. & Sixti V. quorum singuli bis centum annorum indulgentiam largiti sunt. Ita P. Natal. sc. 1. n. 108. apud P. Dominicum Viva. in Appendice indulgentiarum p. ult. Item quinquies Pater, & Ave recitantes in honorem Passionis Domini, & B. Virginis amaritudinum, decies millium dierum Indulgentiam nanciscuntur ex concessione Leonis X. omnibus fidelibus facta ad instantiam Fratrum Minorum, apud Casarubium V. Indulgentia, quoad seculares, & Vivam cit. Item qui tertiam Rosarii partem, id est, 5. Pater noster, & 50. Ave Maria recitaverint, quinque annorum, & totidem Quadragenarum indulgentiam lucrantur à Sixto IV. concessam apud Navarum. Ita Viva cit. & Gobat de indulg. p. 2. cap. 31.

129 III. Recitantibus Ave Maria, Indulgentia triginta dierum conceditur à Joanne XXII. ac totidem aliorum dierum ab Urbano IV. Quadragenta dierum recitantibus Salve Regina; Viginti dierum caput inclinantibus ad veneranda Nomina JESU, & MARIE: triginta dierum inclinantibus caput ad Gloria Patri: bis centum dierum genuflexionibus coram SS. Sacramento: Quadragenta dierum sanctam Crucem clementibus ab eodem Joanne XXII. & unius anni à Clemente IV. Ita Viva cit.

130 IV. Sacerdotibus ante celebrationem Sacri recitantibus: Ego volo celebrare Missam, &c. quinquaginta dierum indulgentiarum concessit Gregorius XIII. Recitantibus in fine horarum Canoniarum, ad quas tenentur, orationem à S. Bonaventura Doctore nostro Seraphico compositam, videlicet Sacrosanctæ, & Individuæ Trinitati, &c. cum Pater, & Ave, Leo X. concessit remissionem culparum in recitatione ex humana fragilitate contractarum. Comitantibus factum Viaticum infirmis deferendum concessit Innocentius XII. 1695. Indulgentiam 5. annorum, & 5. Quadragenarum; si cum luminari id præstet. Quod si quis id præstare nequeat, recitando semel Pater, & Ave, centum dierum indulgentiam lucrabitur. Ita Viva cit.

S. II. Indulgentia Alarum Privilegiatorum.

131 Hodie petentibus indulgentiam pro aliquo Altari, tale Breve ordinariè à Papa conceditur:

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram Rei Memoriam.

Volemus Ecclesiam vestram, in qua aliud Altare privilegium non est erectum, dummodò in ea septem Missæ quotidie celebrentur, & in ea sit Altare sancti, vel sanctæ NN. nuncupatum, hoc speciali dono illustrare, DEI misericordia cunctis, ut quandocumque sacerdos aliquis missam defunctorum, in die commemorationis defunctorum, & singulis diebus infra Octavam illius, ac feria 6. cuiuslibet hebdomade, pro anima cuiuscumque fidelium defunctorum, ad præfatam Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut D. N. JESU Christi suffragantibus meritis à purgatorio penitus liberetur, concedimus, presentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romæ &c. Quando igitur pro aliquo Altari concessa est similis indulgentia, dicitur privilegium, de quo breviter aliqua dicenda sunt. Itaque

132 I. Si Breve Pontificum sit ejus tenoris, cuius est prædictum, tunc, ut quis istam indulgentiam lucratur, debet in Altari privilegiato celebrare missam de Requiem, quando hoc non est prohibitum per Rubricas Missalis: quia in prædicto Breve Apostolico requiritur Missa defunctorum, quæ non est alia, quàm de Requiem: Aliàs pro anima defuncta non obtinebitur indulgentia. Quando verò Rubricæ Missalis prohibent celebrare missam de Requiem, sufficit dicere missam currentem. Ita declaravit Clemens IX. 23. Septemb. 1669. Bulla: Cum fel. rec. (quæ videri potest apud Lantuscum, in Supplemento Theatri Regularium, V. Altaria privilegiata, & infra in Appendice alphabetica Bullarum V. Altare privilegium ex integro adducitur) de omnibus Altaribus privilegiatis in perpetuum, vel ad tempus, & in futurum sic privilegiantibus, pro uno, vel aliquibus hebdomade diebus, ac de missis sive ex obligatione, sive ex sola devotione in eis celebratis pro lucrando privilegio. Deinde Innocentius XI. constit. Aliàs postquam, 14. Maii, 1688. Confirmavit Decretum S. Rituum Congregationis, editum 2. Apr. ejusdem anni, occasione dubii, an videlicet Alexand. VII. & Clem. IX. declarationes sibi pariter locum vendicarent etiam in diebus Dominicis, infra Octavas Paschalis, Rejuratio-

nis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque diebus, in quibus licet jesso duplici non impediantur, ab utraque missa defunctorum iuxta ritum, & usum Ecclesiæ celebrari nequeant. Quæ respondent, præfatos Alexandri, et Clementis declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus iuxta Rubricas, missa defunctorum celebrari non possunt. Ita Matheucci in Cautela Confessarii lib. 1. c. 6. n. 23. II. Quando conceditur ut anima liberetur etiam per aliam missam, quàm de Requiem, addenda est collecta pro defuncto, exceptis festis primæ classis. Ita La Croix lib. 6. p. 2. n. 526. ex Gobat in Alphabeto Sacrificantium n. 651. etique probabilius, non sufficere commemorationem pro defuncto sub solo Memento, quau vis id putent Navarrus, Bellarminus, Garzias, Castro-Palaus, et alii apud Gobat cit. n. 632. et La Croix citat. Ego in Bulla Clementis IX. supra cit. quæ incipit: Cum fel. record. et quæ infra in Appendice alphabetica Bullarum extoto afferetur, nihil lego de commemoratione, vel collecta fumenda pro defuncto in Missa currenti; sed hæc sunt Bullæ formalia: Et proinde, ut Missa, quæ ibidem de jesso currenti, in quo Missæ defunctorum celebrari non possunt, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragantur, ita ut anima Christi fidelium, pro quibus celebrata fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus, & per omnia; perinde ac si Missa defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebrata fuissent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. III. Celebrans debet hujus missæ, per quam in Altari privilegiato vult liberare animam, fructum Ministerialem applicare pro illa anima, cui vult lucrari indulgentiam; aliàs non valet privilegium: quia in Brevi dicitur: Qui pro anima Missam celebrabit. Gobat de indulg. p. 2. cap. 26. n. 529. addens hæc puto tamen, quidquam obfuturum, si Sacerdos non conductus stipendio, suum sacrum, quæ est impetratorium, & Eucharisticum, applicet sibi, aut aliis vivis, vel defunctis, dummodò quæ est satisfactorium, applicet illi animæ, quam vult liberare. IV. Debet tantum pro una anima legere Sacrum, uti patet ex Brevi supra descripto; consequenter debet celebrare vel pro defuncto, vel pro defuncta; non enim valet privilegium pro defunctis, etiam si quis tantum uni ex illis velle applicare privilegium: fructum tamen Ministerialem vellet applicare pluribus. Ita Gobat cit. n. 529.

133 II. Clausula in Brevi supra descripto: in qua aliud Altare privilegium non est erectum, sic intelligenda est, ut quando illud, jam antea decoratum est alio Altari privilegiato, pro animabus generatim, seu pro quibuscumque defunctis, posterior concessio facta etiam pro animabus generatim nihil valeat, sed sit subrepticia. Sin verò posterior concessio impetrata sit pro una, aut pluribus Confraternitatibus, omnino valet, esto in petitione non sit facta mentio indulti pro animabus generatim concessi. Ita Gobat cit. n. 519.

134 III. Clausula in Brevi supra adducto: dummodò in ea septem Missæ quotidie celebrentur, intelligenda est: dummodò soleant à cuiuscumque tandem Ecclesiæ Sacerdotibus septem Missæ quotidie in ea Ecclesia, in qua est Altare privilegium, celebrari, adeoque hæc conditio non deficit, si quandoque contingat, tunc celebrari fortuito, non communitate, etenim similes locutiones accipiende sunt non in rigore Grammaticali, sed Morali; unde si ob hostilem incursum contingat, non fieri uno integro Mense, nisi unum quotidie Sacrum, aut etiam nullum, non tamen idcirco corrumpitur indulgentia. Ita Gobat cit. n. 521. Hic etiam notanda occurrunt Responsa S. Congregationis (quæ refert Matheucci in Cautela Confessarii lib. 1. c. 27. n. 57.) ad dubia supra numero Missarum celebrandarum in Ecclesia, in qua est Altare privilegium. Petebatur itaque

Primò: An absentibus Religiosis ex causa prædicationis, tempore Quadragesimæ, & adventus, vel quando occasione spirituum, vel funerum aut similibus, à Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, indulgentia concessa cum certo numero Missarum, qui ob dicitas causas adimpleri non potest, prorogari possent, vel pro eo tempore, quo dicitas numerus Missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potius remaneant in suo robore?

Secundò: An idem sit statuendum, deficiente præfixo numero Missarum, ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm secularium?

Tertiò: An pariter idem sit statuendum, deficiente prædicto numero Missarum, ob absentiam ab Ecclesiis secularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menses?

Horum dubiorum resolutionem Summus Pontifex remisit Sacræ Congregationi Concilii, quæ Anno 1701, 30. Julii respondit.

Ad primùm: Quoad primam partem, pro tempore Adventus, & Qua-

Cap. III. Sect. II. De Indulgentiis in Specie.

Quadragesimæ remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodò raro contingat.

Ad secundum: Non remanere suspensas. Ad tertium: Provisum in primo.

135 IV. Clausula: In die Commemorationis defunctorum, indicat, non esse Legem Ecclesiæ: ut eo die omnia Sacra offerantur pro defunctis in genere, & hinc etiam Gobat tr. 4. de indulg. c. 26. n. 525. & in Alphabeto Sacrificantium, casu 19. n. 633. cum Tamburin. lib. 3. c. 3. §. 1. n. 10. negat esse obligationem, eo die omnia Sacra applicandi pro defunctis in genere, cum enim eo die quis possit lucrari hoc privilegium, intendens verò lucrari hoc privilegium debeat celebrare pro una anima existente in purgatorio, sequitur eo ipso, posse aliquem Sacrum offerre in die Commemorationis defunctorum pro una anima existente in purgatorio. Quare etiam Sacra Rituum Congregatio 4. Aug. 1663. declaravit, Missas in die Commemorationis defunctorum posse applicari ad libitum celebrantium; Regulares tamen tenentur eas applicare ad intentionem fuorum Superiorum. La Croix lib. 6. p. 2. n. 2054. Decretis 244.

Denique qualiter intelligenda sit illa clausula: presentibus ad septennium tantum valituris, diximus Sect. præced. q. 4. nu. 58. & seqq. Et an indulgentia Alarum privilegiatorum in Anno sancto suspendantur, dicemus infra de Jubileo.

136 Petes I. An pro omnibus Ecclesiis impetrari possit Alia privilegium. Resp. Altare privilegium ad septennium potest impetrari in Ecclesiis tantum, in quibus quotidie per annum dicuntur 7. vel saltem 5. missæ: & quidem (præter diem Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ac infra ejus Octavam) pro unica feria in hebdomada: si verò quotidie dicantur missæ 14. vel saltem 10. pro duabus feriis & sic deinceps. Pro Confratribus autem, & confratribus alicujus Confraternitatis potest impetrari Altare privilegium, etiam si unica tantum Missa hebdomada im dicatur, modò dicatur illa die, cui affixa sunt suffragia. Modus petendi Altare privilegium est v. gr. sic: Petitur Altare privilegium ad septennium pro Ecclesiæ S. Petri sive scti Regularium, sive non Regularium civitatis N. Dioecesis N. & in ea sit Altare S. Antonii de Padua, pro singulis feriis sextis, dicuntur in ea quotidie 7. vel 5. missæ. Si petatur pro Confraternitate, debet specialiter hoc exprimi. Ita La Croix lib. 6. p. 3. n. 931. Pro monialibus, & eorum consanguineis, ac Benefactoribus potest etiam obtineri Altare privilegium in ipsarum Ecclesia, in qua una missa quotidie dicitur. Vide dicta Sect. præc. q. 4. n. 70.

137 Petes II. An Sacerdos, qui accepit stipendium, ut in Altari privilegiato celebraret pro aliquo v. gr. defuncto, ad lucrandum ei indulgentiam plenariam seu liberationem à purgatorio, in alio Altari, vel in alia die, qua non est concessum privilegium, celebrat, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem? Affirmant Navarrus c. 25. num. 134. Azorius &c. apud Sannig, dist. 5. de missa q. 8. n. 6. Quæ talis Sacerdos non lucraretur defuncto indulgentiam plenariam seu liberationem à purgatorio, & consequenter in re gravi non servaret promissum, servaretque stipendium invito Domino: teneatur itaque hoc compensare aliis proportionatis precibus. Herincz disp. 8. de Sacrificiis Missæ q. 1. n. 187. ait præterea ratio dicit, facilius perveniri posse ad gravitatem materiam, si obligatus celebrare in Altari privilegiato, celebrat alibi, quàm si sit obligatus in alio communi Altari celebrare. Vide tamen, quæ habet P. Sporer Theol. Sacram. p. 2. c. 5. n. 333. de omitente legere unam missam pro accepto stipendio.

138 Quod atinet indulgentias Rosarii, seu Coronis, quæ S. Birgittæ vocant, à Summis Pontificibus concessas, accipi Roma sequens Summarium.

San. Mem. Leo X. Summus Pontifex per litteras suas incipientes: Ex clementis datas 6. idus Jul. 1515. concedit omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui per, & super Rosaria seu Coronas S. Birgittæ devote oraverint, pro qualibet oratione Dominica, centum dies, & totidem pro salutatione Angelica, & pro quolibet symbolo, si dixerint, vel recitaverint, etiam centum dies indulgentiarum, nec non pro quolibet Pfalterio (id est, Rosario, aut Corona quindecim decadem B. Mariæ V.) super illis integrè per eodem Christi fideles, per seipsos, aut cum socio, vel familiari, qui eandem indulgentiam consequatur, dicto vel recitato, septem annos, & totidem Quadragenas.

Sanctissimus D. N. Clemens XI. Summus Pontifex in suo Brevis, incipiente: de salute Gregis Dominici, dato 23. Septemb. 1714. concedit omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus confessis, & communicatis, ac pro

Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione orantibus, qui quotidie per integrum annum Coronam S. Birgittæ, dummodò sit saltem 5. Decadem, recitaverint, semel in anno, die per unum quemque Christi fidelem eligenda, plenariam indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eandem plenariam indulgentiam applicandi animabus in purgatorio existentibus. Ad lucrandum hu. usmodi indulgentias requiritur, ut Coronæ à Patribus Superioribus Monasteriorum, aut ab aliis Religiosis Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu S. Birgittæ ad id specialiter deputatis sint benedictæ.

Sacræ Congregatio indulgentiis, & Sacris Reliquiis preposita, die 26. Nov. 1714. censuit, permitti posse impressionem presentis Summarii indulgentiarum concessarum Coronis, quæ vocant S. Birgittæ, addita declaratione, quod omnes aliæ indulgentiæ, quæ in presentis Summario non continentur expressè, sint à SS. D. N. Clemente XI. revocatae per supradictum Breve datum die 22. Septembris 1714.

Prohibet insuper eadem Sacra Congregatio, ne hu. usmodi Coronæ vendantur, aut alteri commodentur, & si secus fiat, declarat supradictas indulgentias cessare, & nullius esse roboris, vel momenti. Datum die 4. Decembris 1714.

L. Card. Picus Præfatus.

(Loco * Sigilli.)

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Aliqui prædictas indulgentias nominant S. Brigidæ. Hoc decretum etiam Lector benevolus videre potest in Tertia Seraphica Vinea Reverendi Patris Engelberti Pauck c. 23.

S. IV. Indulgentia concessa pro articulo mortis.

139 CUM ex dictis supra hac Sect. qu. 1. omnes Religiosi, & gaudeant indulgentia plenaria in Articulo Mortis, sicut etiam multi alii fideles ob Confraternitates, vel Numismata à Romano Pontifice benedicta, aut alias causas; item quia Religiones, ac etiam aliquæ Confraternitates fruantur privilegio concessendi abolitionem generalem suis Religiosis, ac Confratribus, quali in specie gaudet noster triplex Ordo S. P. N. Francisci, & Archi-Confraternitas nostra Chordigerorum; hinc inquiritur, qualiter ista indulgentia pro Articulo Mortis sit applicanda, & obtinenda? pro qua questione resolvenda dicimus.

140 I. Indulgentia pro Articulo Mortis concessa quandoque debet applicari per Confessarium, quandoque verò per intentionem constituti in Mortis Articulo. Tunc autem non est opus interventu Confessarii, quando in formula indulgentiarum non sit expressa illius mentio. Gobat de indulg. p. 2. cap. 34. sive autem applicetur per Confessarium, sive per constitutum in Mortis Articulo, tantum valide applicatur in vero Mortis Articulo, juxta Bonaciam, & Dianam apud Gobat cit. quia hæc videtur esse mens concedentis tunc indulgentiam; eamque consequitur moribundus iuxta aliquos in eo instanti, in quo est ita viribus destitutus, ut mortem naturaliter evitare nequeat; secundum alios verò in eo instanti, in quo moritur: quia tunc, licet non sit amplius capax gratiæ, adhuc tamen est capax indulgentiæ, ut patet in animabus purgantibus. Bonaciana apud Gobat cit. n. 620.

141 III. Eugenius IV. & Pius II. concessere Fratribus Minoribus maximum Privilegium abolitionis generalis, & indulgentiæ plenariæ pro Articulo Mortis, mediante confessorio deputato, & ab infirmo electo obtinenda, cum hoc onere, ut qui legere sciunt, per annum semel in hebdomada, recitent 7. Psalmos Penitentiales cum Litanis de omnibus Sanctis; nescientes verò legere illud peragant, quod à confessorio illis fuerit injunctum: qui autem legitime impediti fuerint, vel ex inadvertentia, prædictionis memores non erant, in alia septimana sequentis anni supplere possunt. Ita Compendium Privilegiorum nostrorum, V. Absolutio extraordinaria quoad Fratres, num. 4. Et licet Regulares alia privilegia habeant dictam indulgentiæ concessentia absque onere prædicto, nihilominus prima opinio est sequenda; quia est securior. Ita Brevarium nostrum Franciscanum Coloniae impressum, 1695. Attamen Pius II. Congregationi S. Justini, & Julius II. Congregationi Montis Oliveti concesserunt, ut hoc privilegium lucrari queant, etiam si præfatos Psalmos, & Litanias infirmulicant, toties tamen, quot sunt septimana in anno. Ita Compendium privileg. nostrorum V. Indulgentiæ plenariæ quoad Fratres, in annotatione Capuccini.

IV Potest indulgentia pro articulo mortis concessa, & per Confessarium applicanda, à confessario etiam illo, qui non audivit confessionem moribundi, imo etiam ab absente, iuxta *Dianam p. 5. r. 2. res. 46.* impetiri homini omnibus sensibus destituto, non modo, si petivit confessarium, sed etià, si non petivit; nec opus est ulla certa verborum formula uti, sed sufficit voluntas applicandi indulgentias, modo exprimat siguo aliquo externo, quam sufficienter exprimit Sacerdos, dum pronuntiat formam Absolutionis cum intentione absolvendi, in quantum potest; et si neque ipse, neque aget quidquam sciant de indulgentia, *Gobat cit. c. 34.* consultum tamen est, ut confessarius dicat ad moribundum: *concedo tibi Auctoritate Apostolica mihi in hac parte commissa, talem autem indulgentiam; quod ordinariè fit per Absolutionem generalem, quæ (iuxta Rodriguez tom. 1. q. 20. art. 26. apud nostrum P. Kerkhove in statuta nostra Generalia c. 6. §. 22. num. 161. loquentem de absolutione generali, quam dant Prælati Regulares in fine visitationis, vel in Profectis Festivitatibus) non est Sacramentalis Absolutio, nec per eam quis absolvitur à culpa peccati, cum tunc non fiat confessio specifica peccatorum, sed est quedam absolutio deprecativa, per quam subditus, vel inhius absoluitur ab omnibus censuris &c. & à pena debita pro peccatis jam quoad culpam dimissis, adduc in hac, vel altera vita exolvenda. Nec id alienum est à Sacris Litteris, ubi subinde peccatum pro pena illi debita accipitur, iuxta illud 2. Machab. 12. Sancta, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur, id est, à penis debitis pro peccatis, adeoque quando confessarius in Absolutione generali dicit: Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, &c. idem est, ac ab omnibus penis debitis pro istdem. Similiter dicendum de Absolutione generali, quam dant Prælati Regulares in fine visitationis. Vide *Kerkhove cit.* ubi per accidens notandum occurrit, quod per Absolutionem generalem, quam Prælati Regulares in fine visitationis, aut aliàs dare consueverunt, tollantur omnes excommunicationes, & suspensiones, & dispensentur subditi in irregularitatibus (suppono, quod hæ exprimat in Absolutione generali à Prælati) quas forte ignoranter contraxerunt, sic ut si postea recedentur, le aliquam censuram, vel penam reservatam incurrisse, non teneantur amplius pro absolutione ab illis censuris vel penis, recurrere ad Superiorem habentem facultatem, sed sufficiat, quod confiteantur communi confessario peccata, ob quæ illas incurrerunt: nam illa peccata, ut suppono, tantum erant reservata ratione censuræ, qua sublata, cessat reservatio peccati. *Kerkhove cit.**

QUÆSTIO IV.

De indulgentiis revocatis, & Apocryphis.

SUMMARIUM.

- 144 Indulgentiæ revocate à S. Pio V.
- 145 Indulgentiæ revocate à Paulo V.
- 146 Indulgentia revocata ab Innocentio XI. recensentur, & seqq.
- 151 An indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ sint revocate?

ASSERTIO IV.

143 **S**ummi Pontifices plures indulgentias revocarunt, & multas declararunt esse falsas, confictas, & Apocryphas, quas hic recensere videmus. Certa.

§. I. Indulgentiæ revocate à S. Pio V.

144 **S** Pius V. Pontifex Maximus, constitutione: *Est Dominici*. Sexto Calend. Febr. 1567. (quæ habetur in *Bullario Cherubini tom. 2. pag. 213.*) revocavit omnes indulgentias, quæ questum continebant. Vide etiam Concilium Trident. de hac re, *sess. 25. in Decreto de indulgentiis, & sess. 21. cap. 9. de reform.*

§. II. Indulgentiæ revocate à Paulo V.

145 **P**aulus V. Pontifex Summus revocavit omnes indulgentias per suos Prædecessores Summos Pontifices concessas quibuslibet Regularibus cujuscvis Ordinis, ut jam diximus hac sectione, questione I. & loco revocatarum aliàs concessit, quas loc. cit. enumeravimus.

§. III. Indulgentiæ revocate ab Innocentio XI.

146 **I**nnoentius XI. Pontifex Maximus, Anno 1678. 7. Martii, in Decreto, quod incipit: *De laq sepius*, & habetur apud *Gobat de indulgentiis p. 2. c. 37. nu. 709. littera D. La Croix l. 6. p. 2. n. 1367. Sboat Theol. Sac. 11. 3. n. 25.*

& alios) multas indulgentias revocavit, & ut falsas, confictas, Apocryphasque declaravit, & idem ipsum Decretum de verbo ad verbum huc ponendum duximus.

DECRETUM.

Delate sepius fuerunt ad Sacram Congregationem indulgentiarum Sacriq; Reliquiis præpositam, indulgentiæ quedam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferantur; aliæ vero examinandæ, quæ adhibito studio inveniuntur vel Apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocate, vel nullæ, quod datum eis tempus præterisset: quarum quidem plurime, cum non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit.

Tales imprimis sunt illæ, ut asserunt, concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantiibus orationem charitatis JESU Christi Domini nostri, Precor te piissime Domine &c. ab Urbano II. Ecclesie S. Mariæ, ut vulgo dici solet, Campagnole, & S. Victoris, ab Eugenio III. revelationi de plaga in humero JESU Christi, factæ S. Bernardi, ab Innocentio III. Archi-Confraternitati, & Ordini Redemptionis à Bonifacio IX. visitantiibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die Festo, à Joanne XXII. Oculantiibus Mensuram Plantæ Pedis Beatæ Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dicitur, Laghetti, à Leone X. gestantiibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressa, deinde Mediolani Anno 1665. (quas tamen habent, & veras, Confratres Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. Francisci) recitantiibus salutationem Angelicam ad pulpum Horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis immaculæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjacta est, à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, à Clemente VIII. dicentiibus orationem, O Magnum Mysterium &c. Ecclesie S. Mariæ, quam vocant, Montis Ferrati, Avenione impressæ, tum aliq pro animabus Christi fidelium defunctorum impressæ Martii, 20. Julii 1606. à Paulo V. cantantiibus Hymnum, Te Matrem DEI laudamus, Te Mariam Virginem confitemur, &c. vel si die Sabbati interire, dum id canitur, & Coronis, Rosariis, imaginibus, & Numismatibus, quæ Medallas appellant, ab ea benedictis, Federico Cardinali Borromeo supplicante, Anno 1611. dum Ecclesia Rome in honorem S. Caroli edificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentiibus, Sia lodato il santissimo Sacramento, Laus sanctissimo Sacramento, ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Missa dicentiibus, Ave filia DEI Patris, Ave Mater DEI Filii, &c. à Clemente X. Recitantiibus manè, meridie, ac Vespere consuetam Antiphonam, Angelus Domini &c. in fine, DEO gratias, & Mariæ: Ac demùm aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tribute, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri JESU Christi prece Magni Ducis Etruriæ.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die à Purgatorio penis affirmant. Tales aliæ Perulli Confraternitatis sanctorum Sebastiani, & Rochi, & Roma Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani; Tales demùm aliæ Cruce signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononæ.

Ejus generis sunt, & ille concessæ, ut ajunt, Capelle Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesie Santiss. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die Festo Inventionis Santiss. Crucis, vel gestantiibus funiculum S. Francisci de Paula, vel Celebrantiibus Missas S. Augustini, aut aliàs quinq in honorem quinq Festivitatibus B. V. vel recitantiibus Officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, O Passio Magna &c. in Memoriam Passionis JESU, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio sacrorum Rituum non probat) aut Orationem, quæ impressa cum imagine S. Anna circumferri solet, Ave gratia plena &c. (quæ Oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. V. Immaculata, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse, aut Orationem, DEUS, qui nobis in S. Synodone &c. (excipitur indulgentia centum dierum Anno 1671. concessa precibus Ducis Sabaudie ad Annos 25. cunctis in illius Ditione degentibus) aut aliam, Ave Filia DEI &c. post Communionem recitandam, vel aliquo conspicuo venerantiibus sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti Nomen; indulgentia vrsus Octoginta millium annorum veteri de Tabula exscripta, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dican-

diētibz orationem illam verè piām, Deus, qui pro Redem-ptione Mundi, &c. tum quæ impressæ fuerunt Pape Anno 1670. ab hoc titulo, *summario delle indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Sig. Papa Leone X. alla imagine della Concezione della gloriosa Vergine Maria, vel Pistorii sub nomine B. Joanne Anno 1608. evulgate, vel Barletta seu Baruli à Recitantiibus quasdam non sanè malas Orationes, lucranda, vel Parme visitantiibus per quadragesimæ dies Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci, vel Pistorii, & Vassalla à recitantiibus Orationem, Ave Santissima Maria, Mater Dei, Regina Cali &c. & aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt Devotos Seraphicos, & Benefactores.*

His enumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tribuere dicuntur, vel Coronæ sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculate, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel Granis, Crucibus, & coronis Alostia ab Ascensione Hispanæ Montalis Ordinis S. Clare, vel Mensuræ Altitudinis Jesu Christi Domini Nostri, vel Imagini, aut Mensuræ vulneris Lateri ejus inflati, vel orationi, ut ajunt, in sepulchro Domini Nostri reperta, & indulgentia, ut ajunt, in iuxta Revelationis factæ S. Birgittæ, Mechildi, & Elisabeth, vel B. Joanne de Cruce, ut concessæ, ut asserunt, granis, quæ ali-quod ex ipsis granis tergerint, extantiibus penis Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.

Omnes verò & singulas jam dictas indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim Apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat; solique & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædicte indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ: Nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, tacite probatis haberi.

Ac demùm omnes indulgentias concessas ante Decretum Clementis Octavi calum die 9. Januarii 1587. Coronis, Rosariis, granis, seu laticulis, Crucibus, & Imaginibus Sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit: Romanus Pontifex &c. editum 23. Maii, Anno 1606. Personis Regularibus quancumque Religionum & Ordinum, etiam mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis Octavi, cujus initium: Quocumque &c. & 68. Pauli V. incipientem: Qua salubriter &c. habitas per Aggregationem, vel aliam communicationem ab Archi-Confraternitate alla, Ordine, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo, vel ceu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiam earum, vel ejus mentio specialis, & individua faciendæ est, nisi fuerint deinde Romani Pontificis Auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

Porro Summaria indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Santissime Trinitatis, & Redemptionis captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cintura S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentiæ verò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam Beneficio, vel communicare solent, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat. Semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitanti-bus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucriferi.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Santissimum, cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari iussit. Datum Romæ, die 7. Martii 1678.

148 Circa præfatas annullatas indulgentias, in specie circa officium Conceptionis B. V. Immaculate: Notat Pater Gobat de indulgent. p. 2. cap. 47. num. 709. quod Innocentius XI. non prohibuerit Officium de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ, concessum ab Ecclesia, sed quod prohibuerit tantum Breve quoddam Officium de Immaculata Conceptione impressum Mediolani cum titulo: Officium de Immaculata Conceptione sanctissime Virginis Domine Nostre, approbatum à Summo Pontifice Paulo V. quod devota mente recitanti conceduntur centum dies indulgentiarum: Cujus prohibitionis ratio non erat, quod in illo officio contineretur aliquid minus orthodoxum, sed quia verba illa: Approbatum à Summo Pontifice Paulo V. &c. falsò addita fuerunt: Cum Paulus Quintus, nec tale Officium approbaverit, nec tales indulgentias concesserit.

149 Circa indulgentias Crucum Caravacensium notandum est Decretum Innocentii Decimi Tertii Summi Pontificis, quod incipit: *Nuper Sacra* editum 5. Junii 1721. (cuius in Appendice alphabetica Bullarum, V. Indulgentiæ in ter-

minis ponetur (quod sic habet: Cum etiam sacra congregationi indulgentiarum innovaret, evulgatum fuisse alterum Summarium indulgentiarum Germanico pariter idioma conscriptum, absque loco Editonis, & Nomine impressoris, cujus initium latine redditum est: Indulgentiæ, quæ Crucibus Caravacensibus concessæ fuerunt à Romanis Pontificibus Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. denuò confirmatæ ab Innocentio Duodecimo, & excipit: Pro consolatione Christi fidelium, & S. Crucis amatorum. In quo multæ Indulgentiæ penitus confictæ, Apocryphæ, & falsè deprehensæ fuerunt. Eadem Sacra congregatio dicti Summarii impressionem, & usum, sub iisdem panis in indice Librorum prohibitorum contentis interdixit.

Denique apud Gobat cit. num. 703. scribit P. Bonagrati 159 Habentis, etiam esse declaratas à Sacra Congregatione, ut Apocryphas indulgentias, quæ dicuntur Granorum de Mille Ave Maria,

§. IV. Indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ.

Sciendum, quod licet Gregorius XV. Anno 1622. & Urbanus VIII. Anno 1631. 20. Decembris, per Bullam: *Alia felix record.* (quam infra in Appendice alphabetica Bullarum V. Privilegia, per extensum dabimus) revocaverint omnia privilegia vivæ vocis oraculo concessa, nihilominus magni Doctores (inquit Gobat in *experient. Theol. tr. 9. nu. 730.* Etcobar, Peyrinis, & Bordonus, quorum sententiam probabilem censet Lezana) putant, indulgentias vivæ vocis oraculo concessas, non esse propterea revocatas: quia applicatio indulgentiarum non est proprie privilegium. Sed (ait La Croix lib. 1. n. 861. oppositum suadent verba Pontificum; nam Gregorius XV. dicit, se revocare omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quas-cunque spirituales, & Ecclesiasticas, & tam ad forum interius, & exterioris spectantes: Urbanus VIII. addit: Omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quas-cunque, & repetit totam Bullam Gregorii XV. videtur verò indulgentia contineri nomine gratiæ concessionis spiri-tualis.

SECTIO III.

De jubilæo Ecclesiastico, & conditionibus ad illud lucrandum requisitis.

QUÆSTIO I.

De jubilæo, & ejus Accidentibus.

SUMMARIUM.

- 153 Quid sit jubileum quoad Nomen?
- 154 Quid sit quoad rem?
- 155 Jubileum est triplex.
- 156 Quid sit jubileum ordinarium, & extraordinarium?
- 157 Quoties Jubileum obtineri possit?
- 158 An pro defunctis applicari possit?
- 159 An expiret Jubileum mortuo Pontifice?
- 160 Qualiter interpretanda sint Bullæ Jubileorum.
- 161 Quenam Indulgentiæ, & facultates absolvendi, & commutandi vota in anno sancto suspendantur à seq.
- 165 Quando incipiat, & desinat hec suspensio.

ASSERTIO III.

Jubileum Ecclesiasticum est indulgentia plenaria à Summo Pontifice concessa, cum quadam universalitate, & appendice favorum spiritualium, iis, qui perficiunt opera præscripta: Est triplex, videlicet Jubileum anni sancti, jubileum ordinarium, & jubileum extraordinarium: semel tantum obtineri potest, & tantum pro vivis. Durante Anno sancto suspenduntur extra Romam Indulgentiæ omnes plenarie concessæ pro vivis. Communis Doctorum apud Henric de penitentia disputacione quarta, quæstione duodecima. Gobat tr. 3. de jubil. La Croix lib. 6. p. 2. n. 1392. & seqq. Layman lib. 1. tr. 7. c. 8. Viva de jubil. & alii.

§. I. Jubilæi natura, & definitio.

Jubileum quoad Nomen derivatur à voce Hebræica *Jobel*: 153 quod apud Hebræos significabat Annum Remiss. qui erat quinquagesimus, ut videri est *Levit. 25.* Illo enim anno cessabant labores agriculturæ; poterantque omnes commode sustentari ex fructibus anni superioris. Divina largitate triplo pluribus restituebantur agri, & domus venditæ pristinis domi-